



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio LXIII. De Persona Patris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO LXIII.

De Persona Patris.

DISCUSSIO iis, quæ ad Personas generatim spectabant, id modo restat, ut singularum in particulari proprietates inquiramus, & quo pacto Filius à Patre, Spiritus Sanctus à Patre simul & Filio procedat, & quis in iis sit originis existendique ordo, investigemus.

SECTIO PRIMA.

De quibusdam nominibus Patris.

I.
Quid hæc vox Pater denotet.



PRIMUM quod hic discutiendum occurrit, est de hoc ipso nomine Pater, quod relativum est, sibi quæ correlativum requirit Filium. Hæc itaque vox principium sonat alicuius quod per veram generationem producit: cum ergo in Personis divinis una tantum sit, quæ verâ generatione aliam producit, unus tantummodo est Pater. Si verò loquamur de productionibus ad extra, Deus etiam respectu creaturarum Patris nomen sortitur, & quod creatura aliqua in prædicatione Deo est similior, eo is magis propriè dicitur illius Pater, maximè verò propriè illius, cui gratiam & gloriam infundit: hæc enim dona, participationes divinæ naturæ, singulari modo cum sint, singulari etiam ratione ea habentes reddunt filios Dei.

Unus tantum est in divinis Pater.

Deus, etiam respectu creaturarum est Pater.

II.
Nomen Patris prius respectu Filii æterni dicitur, quam creaturam.

Quamvis autem ratio Patris, ut dixi, Deo respectu etiam creaturarum conveniat, prius tamen de primâ Personâ dicitur, ut Filium æternum generat, quam de Deo quatenus producit creaturas, juxta illud Apostoli ad Ephes. 3. v. 14. *Electo genua mea ad Patrem Domini nostri IESU Christi, ex quo omnis Paternitas in cælis, & in terrâ nominatur.* Hæc porò prioritas tripliciter intelligitur: *Tempore*, Filius enim ab æterno, creaturæ in tempore sunt productæ: *Dignitate*, Filius quippe infinitis gradibus nobilior est creaturis, & infinitis nobiliori modo productus: tertio *Ratione*, necessaria siquidem in Deo sunt priora liberis, generatio autem Verbi est planè necessaria, non sic productio creaturarum. Etsi verò tribus hæc modis ratio Patris prius respectu Verbi dicitur, quam respectu creaturarum, quoad nos tamen, cum Deum non nisi ex creaturis cognoscamus, ratio Patris de creaturis primò dicitur, & inde transfertur ad Deum.

Hæc prioritas intelligitur tripliciter.

Quoad nos ratio Patris primò dicitur de creaturis.

III.
Pater est principium Filii & Spiritus Sancti, non tamen matris.

Secundum, de quo hic inquirunt Theologi, est vox *Principium*: de qua dicendum, eam Patri respectu Filii & Spiritus Sancti competere: principium enim, ut rectè S. Thomas, & cum eo Theologi, illud est, à quo aliquid procedit, fide autem certum est Filium & Spiritum Sanctum à Patre procedere. Unde nomen *Principii* Patri tribuit Concilium Lugdunense, cap. *Fidelis* de summâ Trinitate, & Concilium Florent. in literis unionis. Dicit tamen nequit Pater *initium* Filii, hæc namque vox inceptionem denotat in tempore; qua de

causâ Concilium Toletanum & Wormatiense Filium asserunt genitum esse *sine initio*. Hæc verò ratio *Principii* in divinis respectu Filii & creaturarum est univoca. Dicit etiam nequit Pater causa Filii, ob identitatem Essentie.

Tertio quaritur, dicine Pater possit Author Filii & Spiritus Sancti. Affirmant communiter Theologi cum S. Hilario lib. 2. de Trinitate. Negant tamen multi, Filium, quamvis ab eo etiam procedat Spiritus Sanctus, esse ejus Authorem: Author namque, inquit, denotat primum principium. Alii nihilominus Filium docent esse Spiritus Sancti Authorem, & ut Patrem ab eo hac in parte distinguant, Patrem vocant *Authorem sine Authore*.

IV.
Pater est Author sua Authore.

Nihil verò frequentius, quam ut Pater appelletur *Fons Deitatis*; sic enim illum vocat S. Dionysius de Divinis nominibus, capite primo, parte 1. estque modus loquendi, in variis Conciliis, ut Florentino, Toletano II. & Wormatiensi usurpatus: non quod velint Deitatem produci, sed sensus est Patrem esse primam Trinitatis Personam, quique Deitatem aliis duabus, tanquam primum principium communicat: quo etiam modo accipiendus est S. Augustinus, dum l. 4. de Trin. c. 20. Patrem vocat *Totus Divinitatis, seu Deitatis Principium*. Dicit etiam solè Pater *Fons totius Trinitatis*: sicut Adamus principium dicitur totius generis humani, non quod producat seipsum, sed quia ab ipso humanum genus sumpsit exordium.

V.
Pater est Fons Deitatis, & totius Trinitatis.

Circa nomen *Ingenitus*, quidam olim ex sanctis Patribus, ut S. Athanasius, & S. Ambrosius ob quasdam Arianorum cavillationes, contendunt hanc vocem arguere diversitatem in naturâ, refugiebant Patrem appellare Ingenitum. Nunc tamen, cum, suppressâ Arianorum hæresi, de Patris & Filii consubstantialitate inter orthodoxos constet, communi Theologorum consensu hæc nomen *Ingenitus* Patri tribuitur; quo etiam modo eum vocat sanctus Augustinus, S. Cyrillus Alexandrinus, & alii: Unde & Ecclesia in officio Sanctissimæ Trinitatis sic canit, *Te Deum Patrem ingenitum*, &c. de quo plura Sectione sequente, dum de innascibilitate.

VI.
Nomen Ingenitus Patri propriè competit.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa appellationem & notionem Patris: Vbi etiam de innascibilitate.

I. *Nomen Patris notionaliter sumitur, & essentialiter.*

NOMEN Patris, ut Sectione præcedente vidimus, duobus modis sumitur, notionaliter & essentialiter: notionaliter sumptum est primæ Personæ proprium, sola siquidem prima Persona generat Filium: acceptum verò essentialiter, seu prout respicit creaturas, ut cum dicitur *Pater noster*, *Pater Misericordiarum*, &c. toti, ut diximus competit Trinitati, omnibusque & singulis Personis, utpote quæ omnes per eandem potentiam & actionem, ad extra simul operantur, quoties creaturâ aliqua producitur: sic Job. 38. v. 28. dicitur, *Quis est pluvie Pater? aut quis genuit stillas roris?* Unde & duplex similiter est in Deo Paternitas, notionalis, & essentialis; nos verò deinceps de solâ notionali, ejusque proprietatibus loquemur.

Duplex in Deo Paternitas.

II. *Certum est Paternitatem omnino esse improductam.*

Sicut ergo Pater est improductus, juxta illud S. Athanasii in Symbolo, *Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus*; ita & Paternitas est omnino improducta: si enim Paternitas produceretur, Pater etiam produceretur; sicut ideo Filius & Spiritus Sanctus verè sunt producti, quia Filiatio & Spiratio passiva producuntur. Utrum autem Paternitas in se improducta, dici nilominus possit, vel à naturâ, vel aliâ divinâ perfectione ratione nostrâ procedere, res est parvi momenti, nec operæ pretium existimo illius discussioni insistere.

III. *Innascibilitas quid sit, & quotuplex.*

Præcipuum quod hic inquiri solet, est circa *Innascibilitatem*, de quâ nonnulla dicta sunt supra, Disputatione quinquagesima-primâ, sectione 3. num. quinto & sexto, & Sectione præcedente, num. sexto, sub nomine *Ingenitus*, eadem siquidem est utriusque vocis significatio. *Innascibile* ergo, seu *Ingenitum*, tribus modis sumitur: primò ut idem sit quod increatum, sic autem, non peculiare Patri, sed omnibus tribus Personis

Tribus modis sumitur innascibilitas.

est commune. Secundò prout illam solam processionem excludit, quæ appellatur generatio; & hoc modo sumptum hoc nomen convenit etiam Spiritui Sancto: hic enim, non per generationem, sed per spirationem producitur. Tertio demum idem est, ac omnino improductum, & hac ratione *Innascibilitas*, propriè convenit Patri, utpote qui omnis passivæ productionis est expertus: quo sensu loquitur Concilium Toletanum II. dum dicit *Spiritum Sanctum, nec genitum esse, nec ingenitum*.

Difficultas est, utrum *Innascibile*, seu *Ingenitum* in positivo formaliter, an in negatione consistat. Eam in positivo statuunt nonnulli. Communis tamen Theologorum sententia affirmat *Innascibilitatem* in negatione consistere: ita S. Thomas hic, quæstione trigesima-tertiâ, articulo quarto. Scotus in primo, distinctione 28. quæstione secundâ, articulo primo. Molina. Suarez libro octavo de Trinitate, cap. 2. num. 6. Granado primâ parte, tract. 7. disp. 2. num. 5. Tannerus hic, disp. 4. dub. 1. numero decimo, & alii.

IV. *Innascibilitas in negatione consistit.*

Hoc apertè docet S. Augustinus libro quinto de Trinitate, cap. septimo, à S. Thoma citatus: *Cum ingenitus, inquit, dicitur Pater, non quid sit, sed quid non sit dicitur*; idemque illic late profertur. Idem docet S. Cyrillus Alexandrinus, idem S. Damascenus, & alii. Ratio autem est; tum quia ipsum nomen sonat negationem; tum etiam, quia si Pater, entitatem suam positivam quam habet, fingeretur accipere ab alio, periret in eo prædicatum *Ingeniti*, seu *Innascibilis*; cum tamen in hoc casu aliud nihil tolleretur, præter negationem productionis: ergo in hac negatione consistit *Innascibilitas*.

V. *Varie ostenditur innascibilitatem consistere in negatione.*

Fundatur quidem hæc negatio in entitate positivâ, nempe Paternitate; hoc tamen non magis arguit eam consistere in positivo, quam quod alia prædicata, quæ communiter dicuntur esse negativa, consistant in positivo: omnia enim fundantur in Essentiâ, sicque nulla erunt in Deo attributa putè negativa. Quomodo verò *Innascibilitas* constituat quintam notionem dictum est supra, Disp. 51. sectione tertiâ.

VI. *Fundatur hæc negatio in Paternitate.*

